

figura Reichenbachiana (*Lagosotis taraxacoides* Ic. crit. I, 29, si ceterum huc spectat), etiam cum nostra minime convenit; quare hanc bene distinctam censeo. Reliquae vero species sectionis Barkhausiae, quas comparavi vel descriptas vidi, adhuc magis differunt, quare nomine novo specifico hanc designavi.

8. *Crepis* (*Barkhausia*) *foetida* var. *subintegrifolia* Lge. Differt a typo speciei foliis inferioribus spathulatis, obtusis, parce sinuato-dentatis, caulinis pluribus, obovato-lanceolatis, inferioribus in petiolum latum basi hastato-auriculatum angustatis, superioribus amplexicaulis, omnibus remote dentatis (neque pinnatifidis). Reliqua ut in *C. foetida*, quare, non obstante habitu peculiari, ejusdem vix nisi varietatem singularem sistere censui.

In dumetis ad Churriana fl. Malacitana die 22 Maj 1873 legit cl. R. Fritze.

9. *Leontodon* (*Millina*) *Nevadensis* Lge. Perennis, pedalis v. ultra; foliis rosulatis, anguste et elongato-lanceolatis, in petiolum alatum decurrentibus, glabriusculis v. parcissime pilosis, remote sinuato-dentatis; scapo adscendente, semel v. bis dichotome ramoso, ramis arcuato-adscendentibus, basi folio minuto subulato et sub calathio squamis 2 parvulis adpressis fultis, superne incrassatis; calathio minuto, cylindrico-campanulato, periclinii squamis viridibus, exterioribus anguste, interioribus late albomarginatis, nervo dorsali hispidis; ligulis luteis concoloribus; stylis luteis; achaeniis pallide stramineo-fuscis, breviter rostratis (rostro c. $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{4}$ achaenii longitudine), infra rostrum leviter transverse rugosis, pappi sordide albi radiis c. 10, plumosis, basi dilatatis, caducis.

In montibus Nevadensibus (loco speciali non indicato) Sept. 1873 legit cl. Manuel Jimenez. Specimina communicavit cl. Winkler, qui pauca ejusdem specimina ad fontes fl. Dilar 1876 quoque legit.

A proxime affini *L. carpetano* Lge. (descr. ic. illustr. p. 16, tab. 26, 1) differt foliis magis remote et minus profunde incis, scapis ramosis, calathiis subduplo minoribus, ligulis concoloribus

(nec subtus rubro-fulvis), rostro achaenii multo brevior (quartam v. vix tertiam partem, nec dimidium achaenii longitudinem attingente), quamobrem pappus extra periclinium vix exsertus est. *L. microcephalus* Boiss. praeter alios characteres achaeniis erostribus, pappi radiis pluribus etc. a nostra diversissimus est.

10. *Scrophularia laxiflora* Lge. Erecta, elata, ad paniculam usque glaberrima; caule atrorubente quadrangulo non alato; foliis cordatis, obtusiusculis, grosse et duplicato crenato-dentatis, obscure viridibus, summis lanceolato-ovatis, serratis; ramis inflorescentiae brevibus, adscendentibus, glanduloso-puberulis, laxe 3—5-floris, ideoque paniculam angustam, interruptam, praeter bracteas subulatas ad basin ramorum aphyllam formantibus; calycis segmentis suborbicularibus, margine apicem versus late alboscariosis; corolla pallide fuscescente, labio inferiore saturatius fusco, staminodio obovato-orbiculari, obtuso; capsula late ovata, breviter apiculata.

In monte Sierra de Palma pr. Algeciras Boeticae cum floribus et fructibus immaturis die 26 April 1873 legit cl. R. Fritze.

Scrophularia nodosa L., cujus varietatem primo intuitu esse suspicatus sum, differt a nostra foliis acutis, argute et subsimpliciter dentato-serratis, calycis segmentis anguste marginatis; *S. Scopoli* Hpp. et *S. grandidentata* Ten. foliorum forma, indumento et colore laete viridi recedunt; ab omnibus his insuper nostra planta panicula valde interrupta, cymis breviter pedunculatis et laxe paucifloris insigniter differt. Inflorescentia fere *S. sciaphilae* Willk., sed haec foliis dissectis longius distat. *S. auriculata* (forma minor) denique, foliorum forma nostrae similis, differt foliis simpliciter et minutius crenatis, pedunculis multifloris, capsula minore obtusissima. Reliquae species, quibuscum comparavi, longius adhuc distant, quare nomine specifico ad interim designatam hoc loco descripsi, sperans fore ut a botanicis florum Gibraltariam perlustrantibus in loco natali ulterius observetur.

1) Caulem primarium non vidi, sed ramos c. 1—1½' longos, quare plantæ caulem longissimum fuisse conjicere licet.